

dici raro eo sale vterentur. Nihilo tamen minus fateri conuenit, illud et miasmatis venereo destruendo atque ex corpore vix sensibili modo expellendo, et vero etiam ptyalismo producendo esse aptissimum, neque vnquam, quantum hactenus obseruationibus constitit, illis incommodis ansam praebere, quae sublimati mercurii in vini spiritu soluti vsum quandoque sequuntur, qua de re saluberrimis omnino medicamentis videtur annumerandum esse. Atque his quidem de causis ad tentamina quaedam instituenda fui commotus, vt, si fieri posset, methodum inuenirem, qua hoc sal faciliori negotio pararetur. Neque prorsus inanis meus labor fuit, quare breuiter de eo rationem reddam. Et quum primum quibusdam experimentis fuisset edoctus, tartari cremoris solutionem vtique perexiguam tantum mercurialis calcis alcalino vegetabili sale ex hydrargyri in nitroso acido solutione praecipitatae in se recipere; arbitratus sum, euentus huius causam non solum a debili soluendi virtute acidi huius salis repetendam, sed etiam in alcalino sale illi admixto quaerendam esse; nam saepe eram expertus, purum tartari acidum lubentius aggredi et dissoluere antimonii regulum, eiusque calces, quam tartari cremorem. Hinc sperabam, fore, vt mercurii in illo acido solutio melius succederet, si essenziale tartari sal, *Scheelii* methodo ab omni alcali separatum, ad hunc vsum adhiberem. Neque profecto fefellit spem euentus; etenim cum dimidiae vnciae huius salis in aquae destillatae vnciiis quatuor solutionem mercurii praecipitati fusci et recte edulcorati drachmis duabus affudissem et cum eo per aliquod temporis interuallum coxissem, acidum iam multas mercurii partes in se recepisse, admixtione reagentium quorundam corporum cognoscebam. Quam ob rem omne fluidum a residua calce separavi, lenique calore in vapores egi, donec in
super-